DEO OPT. MAX. VNI ET TRINO, VIRGINI DEIPARÆ, ET SANCTO LVCÆ ORTHODOXORVM MEDICORVM PATRONO.

QVÆSTIO MEDICA

QVODLIBETARIIS DISPVTATIONIBVS MANE DISCVTIENDA IN SCHOLIS MEDICORVM DIE IOVIS XI. IANVARII.

M. PHILIPPO CHARTIER, Doctore Medico Præside.

1062

An ingenioſi ad riſum & fletum procliues.

IVCVNDISSIMO riſus affectu, germanoque riſus aduerſario luctu, alternis, aſſiduis, interdum & confuſis vtriuſque vicibus nihil homini familiarius, nihil proprium, & intimum magis; ſed cum ab ipſo cæca & natiua conſuetudine prætereatur, nihil temperantes magis latet, fugit, curioſos, vt cur rideant ferenelſciant. A vagitu non vero luctu vitam orditus riſum vt perfectiorem non ante quadrageſimum diem exercere, & primis eius lineamentis matrem cognoſcere puer addiſcit; mox vtriuſque beneficio gaudet impensè, ſed abutitur ad loquelam tutelamque quamuis inutilem, & vt omnium quas aliter inſinuare nequit animulæ cogitationum interpretes; hinc quoque & gemitus clangoſoſq; boatus in brutis animantibus, vociferationes in dolentibus, ſpontaneas in deſperatis lachrymas à voluntariis & genuino fletu; Sicut & mendacem renidentis vultum, indignantis aut iraſcentis amarulentum, & σαρδόνιον percuſſo diaphragmate σπασμῷ κυνικῷ conuulſiuum. Ab innocenti ſalubrique riſu, ſcias internoſcere.

RISVS & fletus tam corporis quam animæ ſimul affectiones, ab hac initium ducunt, vt ad illud terminentur, mens enim [ſi quando voluptatis non exceſſu percita, quod riſum tranſcendit, & in extaſim rapit; ſed furtiuo ac ſubreptitio, eiuſdem appulſu, præter ſpem; nec opinans defraudata, vt ſolet à rebus ludicris leuibus; ideo tamen vim imperioſiſſimam habentibus, quod nouitatis gratiam, aut deformitatis aliquid turpiculæ non moleſtæ; quod in odium & miſericordiam verteret, obtineant] tum leuiter quatitur, & in ſeſe recepta quo melius attendat, mediocri quadam admiratione ſuſpenditur; mox effunditur, motu contrario, vbi gratum & iucundum apprehenderit, redit ad ipſum vt vniatur bono, à quo fugerat vt ignoto. Eadem ab objecto triſti non ſtupendo, quod lachrymas ſiccat, horroremque parit ſi feriatur, paululum nititur vt expellat, tum impotentiam ſuſtinendi lachrymis confeſſa fatiſcit, & proſternitur.

NON tamen anteà riſus, effunditur, fletus exprimitur, quam hoſce ſecretos & labyrintheos flexus & reflexus, in ſubiecto ſibi corpore, æternumque ſibi compatiente ſimili prorſus anima veſtigio connotare voluerit. Hinc ſolitarij non rident niſi imaginatricis aberratione, & quæ ſilentio continentur lachrymæ doloris & miſeriæ narratione voluuntur impetu. Ergo ſi leuis & inchoatus duntaxat, vel quouis modo ſardonius fictus παρὰ τῷ σεσηρέναι τοὺς ὀδόντας, ſolum os præcipuum riſus exterius organum, ringitur, aut conuellitur ſi vero diutior intentiorque perſiſtat, tum in oris conſenſum, tota facies adducitur criſpantibus naſi pinnulis contractis concauiſque pulchrum in ſui medio gelaſinum malis oſtentantibus, non indecoris frons ipſa rugis aſperatur, toto vultu, ſuauiter horrido. Quod ſi in vltimum laxata cachinnum συγκρούσιον fit communis ori & pectori motus, aperto cordi diaphragma precipue conſentit, cuius motum excipiunt, non ſola vocis & reſpirationis organa quibus in ſuſpiria reſpiratio, vox in ſingultus contrahitur. Sed ipſa quoque ſuppoſita viſcera ſoluto tono lien & hepar, cuius ex intimis ſanguis & ſpiritus ſurſum rapiuntur, vnde nullus in venereis riſus aſpergitur. Extrema riſus, lachrymæ ſuffocatio mors citius & crudelius occupant quam in fletu iiſdem fere motibus conſpicuo; hoc ſolum diſſidente quod hic comprimendo dilatet, ille diffundendo comprimat.

VT ſoli homini ridere, vel flere, à natura conceſſum eſt; ſic nullus reperitur ἀγέλαστος tanto minus illachrymabilis. Vtrique ſe permittat aliquando quiſquis humani nihil à ſe alienum putat, cum ad vitæ non melioris tantum beatitudinem ſed abſolutam eius vindictam & conſeruationem iuxta, & neceſſariò conferant. Calor natiuus, violenta citius ῥεῖαι confoderetur, ineluctabili μαράνσει deſineret, niſi dolore oppreſſus, ac fere ſtrangulatus prumpto iucundoque fletus auxilio laxaretur, tum reduce, & poſt nubila ſerenante riſu ceu flabellatione difflaretur, tartareus vapor expelleretur purior ſanguis, & ſpiritus illuſtrarentur, coctio triplex integrior promoueretur mentis acies, ſubtilior & perſpicacior redderetur quæ ſapientis concilio ſæpe viciſſimque remittatur & intendatur; ne ſemel amittatur; vt quamuis egregius corporis habitus, anteà minuendus quam ſubito cum perfici nequeat, labatur & in totum, diſpereat.

NON inani futuræ ſcientiæ præſagio Zoroaſtes eodem die quo genitus eſt riſiſſe dicitur, vnde liberam mentem, & ſui, in bene formato domicilio juris licuit aperte denunciare; ne tamen crebras & faciles mulierculárum lachrymas, ſæpe & eruditos decenteſque cachinnos, aliunde quam à mollitie puſillanimitate ſexus infirmitate, & acceptam vlciſci pœnam impotenti deducas, quibus tamen æquius ignoſces quam tetricæ ſemper, & nuſquam explicatæ multorum fronti quorum duram & corneolam fibram nec iucundi ſpecies iuuat nec doloris offenſa diſcruciat, ſanguinei viuaciores προθυμότεροι ingenioſi, tenero viuoque ſenſu, caloris vbertate iuſtaque & temperata ſpirituum & humorum ſuauitate perfuſi objectis vere ac ſane ridiculis ſæpius occupabuntur vt ſunt vrbane facete & hilare dicta, vel facta, eaque meliora in reponendo de induſtria, quam in prouocando, non obſcæna & contumelioſa plena ruris & inficetiarum deguſtabunt iidem ad lachrymas propter res maxime flebiles parentum funera, &c. miſericorditer inclinabunt has tamen permittent non imperabunt, intus coercebunt, alto corde dolorem prement ſæpiuſque riſum vt honeſtiorem vſurpabunt, iuxta illud ἄσβεστος δ' ἄρ ἐνῶρτο γέλως μακάρεσσι θεοῖσι.

Igitur ingenioſi ad riſum & fletum procliues.



DOMINI DOCTORES DISPVTATVRI.

M. Claudius Cartier.
M. Franciſcus Landrieu.
M. Antonius de Sarte.

M. Daniel. Arbinet.
M. Franciſcus Lopes.
M. Carolus Baralis Med. Reg. & Phar. Profeſ.

M. Vrbanus Bodineau Med. Reg.
M. Philbertus Moriſſet.
M. Iacobus Iouuin.

Proponebat Lutetiæ MICHAEL DENYAV Pariſinus, A.R.S.H. M. DC. LVII.